Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1015
Quelle:
Copyright:

tatus, et olim teſte p. *ult.* ad Collegium ducale artiſtarum datus a *Martino Sawpeck* canonico ad S. *Stephanum Wien.* et plebano in *treskirchen* eſt Florilegium e D. *Bernhardi* Operibus, ſive *Bernhardinus*, ſeu *Exceptiones*, ſeu denique *Flores*, bene diſtinguendi a *Floreto S. Bernhardi* in verſus redacto, et cum *Commento* edito *ſ. l.* et *a.* item *Daventriae* 1499. 4. Conſtat Opus iſtud *Libris* X. cum *Append.* de B. V. *Maria* et ex Epiſtola ad *Robertum* Monachum, compilatoremque habet *Guilelmum* O. S. B. e Coenobio S. *Martini Tornacenſi* circa 1240—46. quem e *Codicibus* detexerunt *Sanderus*, *Mabillonius*, *Val. Andreas*, *Joh. Bunderius*, cum ceterum Opus ipſum vulgo ἀνωνυμως ferretur. Tale eſt in praeſenti *Codice*, tale in edit. *Pariſ.* 1499. 4. quam memorat *Oudinus* T. III. *col.* 203. et ex eo *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. VII. p. 154. tale in edit. *Lugd.* 1556. 8. *min.* quae mihi adjacet, quamque idem *Fabricius* L. II. p. 227. ad *Matth. Audebertum*, qui eam curavit, prave tanquam ad autorem defert. Tale porro etiam eſt in Editionibus multo antiquioribus, quae hos Viros latuerunt, puta *Norimbergenſi ſ. l.* et *a.* f. preli *Senſenſchmidiani* circa 1470. et *Colonienſi* per *Joh. Koelhoff* f. anni, ut Typographus hic non ſemel dormitabat, 1400. cui tamen in binis Exemplis annus 82. antiqua manu adſcriptus vifitur. Vide *Suppl.* meum *ad Annal. Maitt.* P. I. p. 145. et II. p. 510. Initium jam in Codice facit: *Prologus in opus ſequens. Cum non eſſem aliquo exercitio* (Norimb. *alicuius*, Lugd. *alicui*) *magnopere occupatus* &c. Libris ſingulis praemittitur, ut in *Lugd.* Elenchus Capitum, qui in *Norimb.* ſeorſim *folia* 4. efficit, et a Compactore Operi vel anteponi, vel ſubjici poteſt. Liber I. orditur: *Quid eſt deus? Qui eſt.* (prave Lugd. *Quid*) *Merito quidem. Nil competentius eternitati que deus eſt.* &c. Excerptum ultimum ſupra memoratum ex Epiſtola ad *Robertum* Monachum brevius eſt in Codice, quam in Editis; incipit enim primum a verbis: *Rectus ordo requirit* &c. et jam deſinit in his: *Quod ſcimus cum neceſſe non eſt, in neceſſitate neſcimus.*

CCCCXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 92. 4. commode ſcriptus, et coloribus illuſtratus, quondamque, ut *fol.* 6. notatur, *S. Seuerini de neapoli Congregationis Caſin. alias ſancte Juſtine*, laborioſum eſt Florilegium Sententiarum ex *Epiſtolis CCCXXXVI. S. Bernardi Claraev.* Abb. ordine alphabetico inſtitutum, cujus Autor manifeſtus ſit e ſequente Operis clauſula: *Explicit tabula ſuper 336. epiſtolis beati Bernardi, cum dictis ejusdem ordinatis per materias ſecundum literas alfabeti, edita de mandato Sanctiſſimi in Chriſto patris et domini, Domini pape Johannis 22. a fratre franciſco toti de peruſio, de ordine minorum et epiſcopo Sarnenſi.* Nihil de hoc Vi- R. 54

ro